

INNOCENTII CIRONII,

IURIS UTRIUSQUE PROFESSORIS,

CANONICI, ET ECCLESIAE, AC ACADEMIAE TOLOS. CANCELLARI

PARATITLA

IN QUINQUE LIBROS

DECRETALIU GREGORII IX.

EDIDIT

M. IOS. ANT. DE RIEGGER

CAES. REG. ACADEM. LITER. ROBORET. SOCIUS.

Paratitla Justinianus vocat breves ānotationes. Vocab. de

Nebixa pagina



268.....



MATRITL. MDCCLXXI.

Apud IOACHIM IBARRA Catholicae Regiae Majestatis Typographum.

*Superiorum permissu.*




# LECTORI

S. P. D.

EDITOR.



**Q**UUM INNOCENTII CIRONII professoris quondam apud Tolosanos celeberrimi Paratitla in Decretalium GREGORII IX. libros recusa in lucem proferimus, non est, cur vino alioqui vendibili hederam suspendere, aut rem de se commendatissimam magis commendare nitamur. Quis enim reperiri poterit in Jurisprudencia ecclesiastica vel tenuiter versatus, cui exploratum non sit, nihil hoc libro ad jus canonicum ex genuinis suis principiis hauriendum adcommodatius, nihil ad perfectam decretalium intelligentiam desideratius, nihil ad solidam juris ecclesiastici, ejusque vicissitudinum cognitionem plenius, aut uberius esse posse? Exhibet enim vero praestantissimum illud opus in compendio ad quemvis Decretalium titulum ecclesiasticam omnis




# PARATITLA IN QUINQUE LIBROS DECRETALIU.

## LIBER PRIMUS.

### DE SUMMA TRINITATE, ET FIDE CATHOLICA.

#### TITULUS PRIMUS.

I. REGORIUS IX. hunc juris canonici codicem ad exemplum Justiniani compositum, à nobiliori parte inchoavit, quæ fidei, & religionis catholice summam respicit, & præsertim à tractatu de *Summa Trinitate*: cum ad postrema usque tempora controversiæ de ea diu exagitatae quodammodo sopitæ, nec tamen omnino extinctæ fuerint.

II. Trinitatis indivisa substantia *ὁμοουσία*, iis admodum ingrata fuit, ad quos *ARI* venenum pervenit. Haec pestis diu grassata tam in Oriente, quam in Occidente causa fuit, cur antiquum illum glorificationis hymnum, *gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*, semper in ecclesia decantari solitum, synodus Nicaena augeri decreverit hoc versiculo, *sicut erat in principio* &c. quem statim receptum fuisse constat ex Vasionensi, seu Vasensi Concilio; ut hoc additamento vetustas, seu traditio ecclesiae demonstraretur. Cujus origo fluxit ex ipsius Domini verbis: *Euntes, baptizate in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Et in eo fuit observantior ipsa occidentalis, quod in fine cujusque psalmi dictum hym-